

que defectu æqualitatis inter sponsores, est illicita talis sponsio, nec ex ipsa potest aliquod lucrum accipi, et si sit acceptum, debet restitui. Notanter autem dicitur, *regulariter loquendo*, quia si quis a principio certus videatur de veritate rei quam sustinet, et postea altero pertinaciter contradicente, et spondere volente, incipiat formidare, et dubitare reflectens contigisse alias, ut deceptus fuerit etiam in iis quæ sibi prius certa apparebant; poterit tunc licite spondere et lucrari propter aliquale illud periculum cui in sua existimatione se exposuit. Molina, disput. 508, ante fin., Lugo, *loc. cit.*, n. 79, qui testatur de communi.

(68. An autem, quando qui habet certitudinem, protestatur alteri, se esse certum, nec velle, aut posse spondere, quia nulli se exponit periculo, et tamen ille alius contendit, et vult spondere, non obstante illa sibi protestata certitudine, an, inquam, ille possit sponsonem acceptare et lucrum inde recipere, seu receptum licite retinere? Affirmant multi, inter quos Navarr. in *Manual.*, cap. 19, n. 18; Diana, tom. III, tr. 4 *Miscellan.*, resol. 176, Villalobos, in *Summa*, tom. II, tract. 28, diffic. 6, n. 2; Busemb., lib. III, part. II, cap. 3, dub. 13, num. 4; Ludovicus Lopez, Medina, quos affert et sequitur Sanchez, lib. I *Consil.*, cap. 8, dub. 13, num. 11, Layman, l. III, tract. 4, cap. 21, num. 4, ubi dicit hanc sententiam esse veram, et alii: quia tunc, dicunt ipsi, nulla est fraus, aut injuria, cum scienti et volenti non fiat injuria, et sibi debet alter imputare suam temeritatem. Alii tamen id negant, ut Molina Alcozer, Franciscus Garcias, Lessius, Bonacina, quos citat et sequitur Lugo, *loc. cit.*, n. 81, et alii, quia tunc, dicunt ipsi, non servatur æqualitas quæ requiritur ad contractum sponsonis, ut uterque æquale periculum subeat, possitque et vincere et vinci; Filiucius autem, tract. 23, cap. 2, n. 24, secutus a Sporer, *loc. cit.*, n. 85, et ab aliis, recte dicit primam sententiam esse satis probabilem, sed secundam esse magis justam et tutam.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

Libet de ludo, tum de sponsonem disserere secundum jus civile, quod utinam ubique gentium servaretur.

(69. Ludus vel est *fortunæ*, vel *virtutis*. Plura autem jure civili contra aleatores sancita sunt, quæ tamen ad omnes lusores *fortunæ* pertinent, ut tradunt Andr. Sensileb. *De alea veter.*, (70. et Passus Just., *De alea, seu curanda in pecuniam ludendi cupiditate*. (71. Huc I. pertinet generalis prohibitio ludi fortunæ tam in privatis, quam in publicis domibus; l. fin. cod. *De aleat.* (72. II. Quod ludo perditum victori petere non liceat; l. I et III, cod., d. tit. (73. III. Quod victus et hæres ipsius perditum condicere valeat non solum ab ipso victore, sed et ab ejus hæredibus; d. l. I, e. d. t. (74. IV. Quod si victus pecuniam

repetere negligat, id facere queat vel ipsius pater, vel magistratus civitatis, vel tandem fiscus; d. l. I, e. d. tit. (75. V. Quod etiam episcopis incumbat prospicere ut hoc fiat, et eo nomine præsidium auxilio utantur; l. final., e. d. tit. (76. VI. Ut huic repetitioni non nisi 50 annorum præscriptio obstet; l. III, e. d. tit. (77. VII. Ut cautio super aleæ usu data sit irrita, et condici possit; l. I, e. d. tit. (78. VIII. Si quis verberaverit hospitem lusores tolerantem, damnumve ei dederit, nulla huic detur actio; l. I, in princ., ff. d. t. (79. IX. Qui alium ad ludendum compulit, in latomias, vel vincula publica condemnandus; d. l. I, in fin., ff. d. t. (80. X. Nec venia digni, qui, licet ab initio ad lulum non coegerint, victi tamen dimittere nolunt; l. II, in princ., ff. d. tit. (81. XI. Quod etiam adversus parentes illius qui in alea quid lucratur, repetitio danda sit; leg. final. in fin. ff. d. tit. (82. Quod tamen procedere reor, si parentum consensu filii ludo indulgeant; (83. vel filiis certam pecuniam ad ludendum dent.

(84. De pecunia ad ludum, de quo disse- rimus, *fortunæ* credita, an ea repeti possit, nihil speciatim definitum est. Cæterum interest, num ea credita sit a collusore, an a receptatore lusorum, an a tertio. (85. Collusori, et receptatori lusorum actionem communiter denegat DD. Vide Pseil, consil. 28, num. 6; Marsmann., in *Miliologia*, cap. 2, fer. per tot.; Coler., part. I, dec. 173, num. 9; Berlich., part. I, dec. 66. (86. At quod attinet ad tertium, ei dant actionem Carpzov., l. VI, respons. 96, num. 15; Berlich., part. I, d. dec. 66, negat vero inter alios Bruneman., ad l. VIII, num. 3, ff. *Pro emptor*. Hactenus de ludo fortunæ.

(87. Ludus *virtutis* permissus est, si honestati non refragetur et sanitatis causa modice adhibeatur. Quorsum spectat locus Ciceronis lib. I *Officior.*, § 103, ibi: « Non omnem damus ludendi licentiam, sed eam quæ ab honestis actionibus non sit aliena.»

(88. Videamus nunc quos virtutis ludos permiserint jura nostra. Paulus illos recenset in l. II, § 1, ff. d. tit. « Si quis, inquit, certet hasta, vel pila jacendo, vel currendo, saliendo, luctando, pugnando, quod virtutis causa fiat.» Consule vero Gothofred. ibidem, tum Pancirol., *Thesaur. variar. lection.*, lib. I, c. 48, in princ.

(89. Sed nec omittendum est quinque ludorum species recenseri et permitti a Justiniano in l. I, et final. e. d. tit. Confer. et Pancirol., *Thesaur. variar. lect.*, lib. I, c. 47, et Marsman. in *Miliologia*, c. 2.

(90. De lottaria, sive olla fortunæ, quæri solet an plus juris hic subsit quam in ludo fortunæ alio? Ollas hasce defendunt plures, modo eæ publica auctoritate sint constitutæ.

(91. Adi Molin., *De just. et jur.*, tract. 2, disp. 509, fer. per tot.; Kloch., *De arar.*, lib. II, c. 118, n. 4; Martin. del Rio, lib. IV *Magr. disquisit.*, cap. 4, q. 1. Illas vero impugnat Dedekenn., *Consil. theolog.*, vol. II, tit. 8, num. 15. Amesius, *De casib. con-*

scient., cap. 23. (92. Sed de hac quæstione alibi ex professo disserendum.

(93. Reliquum est, ut verba faciamus de sponsonem. Hanc vulgo licitam dicunt, ex sententia Martiani in l. III, ff. d. tit., sed omittunt limites ab eodem Jurisconsulto adjectos, ut scilicet in aliis casibus, ubi pro *virtute* certatum non est, sponsonem facere non liceat. (94. Quinimo ex leg. fin., § *Nec permittimus*, e. d. tit. ubi virtutis causa sponsio fit ultra unum solidum, si multum dives sit, exponere prohibitum. Vide Wissembach., ad tit. hunc, ff. *De aleator.*, § 18.

* NOVA APPENDIX

NOVISS. ADJECT.

Ne lectores non pauca, quæ ad hunc articulum pertinent, ab auctore omissa, aliunde petere cogantur, ea hic subjicienda duximus.

(1. Ut ludus, quatenus pro contractu accipitur, licitus sit, præter quatuor conditiones ab auctore nostro n. 2 propositas, tres adhuc Antoine, atque theologi vulgo requirunt. (2. Harum prima est, ut serventur omnes conditiones ad ludum honestum necessariæ: quia ludus, ut contractus, continet ac supponit ludum generatim, cui est accessorius.

(3. Ludus vero generatim ex Antoine in *Tract. de contractibus*, cap. 11, quæst. 1, « est juncundum aliquod dictum, vel factum ad animi relaxationem ordinatum. » Ejus finis proximus est, ut animus oblectatione relaxetur, fiatque aptior ad applicationem ac intentionem necessariam, eo modo, quo vires corporis per somnum reficiuntur: quies enim animæ delectatio, inquit S. Thomas, 2-2, quæst. 168, art. 2. Hinc ludus tam potest esse honestus, quam dormitio, si cum debitis circumstantiis ob finem honestum exerceatur, pertinetque ad virtutem, quam Aristoteles et S. Thomas eutrapeliam vocant, quæ est species temperantiæ, per quam homo dirigitur, ac inclinatur ad modum in ludo tenendum.

(4. Ut autem ludus sit licitus, hæc ex communi sententia requiruntur. 1° Ut ludi genus nullo jure sit prohibitum. 2° Ut non sit occasio peccandi, nec scandalum, aut damnum ullum cuiquam pariat. 3° Ut modus debitus, decorum, et omnes circumstantiæ debite serventur, ita ut congruat personæ, tempori et loco, etc., nam, *bonum ex integra causa, malum ex quovis defectu*. Hinc conc. Senonense prohibet clericis, ne in publico ludant pila, aut aliis ludis, maxime cum laicis, ob indecentiam. 4° Ut nec sæpius, nec diutius ludatur, quam exigit necessitas reficiendi vires animi, et eum expeditiorem reddendi ad debita officia. Necessitas enim est mensura ludi, sicut cibi et potus. « Parum autem de delectatione sufficit ad vitam, quasi pro condimento, sicut parum de sale sufficit in cibo, » ait Aristoteles a S. Thoma quæst. cit., art. 4, relatus. His adde, ut ludus necessarius referatur ad finem honestum; nam homo semper propter finem ho-

FERRAR. V.

nestum agere tenetur. (5. Altera conditio est, ut non ludatur principaliter ob lucrum quia finis proximus ludi est animi levamen et oblectatio, ut animus vegetior atque aptior fiat ad debita munera propter Deum obeunda. Nec illud prætermittendum, lucrum, quoad lucrum, finem honestum esse non posse. Cæterum qui ludit ex intentione primaria lucrandi, inquit Cuniliati, tractat. 10, cap. 11, § 1, n. 111, cum communiori Cajetani, et Soti non peccat lethaliter, quia revera non desideratur damnum proximi, sed desideratur res proximi, ita ut ad ludentem perveniat modo justo; et quemadmodum non est lethale desiderare rem etiam pretiosissimam, ita ut sibi perveniat modo justo, puta aut donatione, aut alio justo titulo; ita in præsentia. Secus dicendum, si lucrum intentum prævideretur allaturum familiæ colludentis grave detrimentum, ut dixi; tunc enim sicut illicitum esset ludum continuare lucrando, ita illicitum quoque est tale lucrum intendere. Si quis autem moderate ludendo intenderet lucrum, non propter ipsum lucrum, sed puta, ut filiæ dotem convenientem constituat, etc., tunc nec veniale forte videretur.

(6. Tertia conditio est, ut summa, quæ ludo exponitur, sit modica secundum ejusque facultatem, et conditionem, et non major quam opus sit ad excitandum cum oblectatione animum, et impediendum ne ludus langueat.

(7. De regularibus, ludentibus Cuniliati, tractatu 16, cap. 2, § 4, n. 5, et seq. scribit: « Circa ludos alearum, italice *di fortuna*, et præcipue chartarum, quantum dedecet ecclesiasticas personas, et præcipue regulares, declarant sacri canones, ordinumque regulæ; et ideo theologi communiter damnant peccati lethalis religiosos hujusmodi ludis, præcipue frequenter, operam dantes: sufficere afferre duos recentiores perdoctos, nec de severitate doctrinæ suspectos. Primus est P. Passerinus, tom. II, q. 187, art. 2. « Ludi chartarum, » ait ipse, « maxime cupiditati et avaritiæ deserviunt, eo quod de uno ex illis ad aliud est facilis transitus... Inde est, quod nedum in religionibus observantibus, sed et in omni religione, prælati hujusmodi pestes, et ludos voluptuosos, nulla consuetudine obstante, juxta sancita in concil. Tridentino sess. XXII, cap. 1, *De reformat.*, extirpare debent; et graviter peccant, si id non faciant, et si hujusmodi ludos permittant; et multo amplius si dent licentiam eis ludendi suis subditis. » (At, dico ego, quid? si forte superior ipse suo exemplo oppositum doceret?) « Manifestum est enim, quod per usum horum ludorum sub prætextu recreationis fratrum, sternitur via ad dissolutionem religionum. » Hæc doctor primus. Audi secundum; qui est P. Rotarius tom. I, II, lib. III, cap. 1, puncto 12, n. 13 et 14, ubi concedens, quod nos non audeamus concedere, nempe licere aliquando regularibus, chartis ludere, deinde sic scribit. « Secus dicendum, si sæpe vacarent prædictis ludis; nam tunc difficile excusa-

«rentur a mortali (nota bene), etiamsi ludent sine scandalo, ut ex communi doctorum testatur Lezana, verbo *Ludus*, n. 4. «Erit autem ludus frequens, et ludens dicitur consuetudinarius, si semel in hebdomada fiat, juxta Bordonum. Resol. 33, n. 3. » Claudit demum hoc punctum Giribaldus gravibus verbis, quibus invehitur in religiosos saepe ludentes ludis vetitis alear., et taxillor., causa lucri. Rossignolus item, sive hoc faciant, nescientibus, ut communiter contingit, sive etiam videntibus, et non contradicentibus superioribus, (verba ipsius sunt) abominabile hoc vitium est, ut religiosum statum, et perfectionem evertat, sanctitatem comminuat, vota disrumpat. Heu! quam gravibus poenis ad supremum Dei tribunal obnoxii erunt, nedum religiosi ludentes, sed superiores etiam scientes, et corruptelam hanc non resecantes, quæ cedit nedum in animarum perniciem, sed etiam in religionis eversionem! Ex dictis patet, communem sententiam esse, quod etiamsi non obstant decreta, neque sit scandali periculum, neque ingens pecunia ludo exponatur; tamen in religioso consuetudo ludendi nequit a mortali excusari, cum nimis adversetur statui religioso. » Ex his inferri debet: primo, ex communi, superiores permittentes introductionem ludi chartarum in suos conventus, graviter peccare, sicuti et introductum exstirpare non procurantes. Secundo: dictis ludis religiosos utentes, saltem aliqua frequentia, certo peccare lethali. Dixi, saltem aliqua frequentia, ut communem opinionem indicarem: cæterum adopto opinionem semper damnantem ut mortales in religiosis hujusmodi ludos; nisi forte parvitas materiæ, nempe brevissimi temporis, et magnæ raritatis excuset; eo quia et jura ecclesiastica nimis urgeant; et hujusmodi ludi nimis regulari statui adversentur; et regulares obligationes, præcipue studium perfectionis exterminant. Tertio: inferendum, graviter peccare superiores, qui, ubi toleratur abusus peculii, concedunt religiosi ludentibus aliis ludis honestis, et non vetitis, puta tesseredibus, scacchis, pila, etc., ut pecuniam exponant, quamvis intra claustra, quia id dissonat paupertatis voto, et excedit suam auctoritatem, quæ nihil potest circa ea quæ sunt voti læsiva. Eo vel magis, quod est moraliter impossibile, impedire transitum paulatim de modica summa ad majorem, et de majori ad grandem, cum voti jactura semper majori. Similiter peccare ipsos religiosos, tam sine licentia pecuniam exponentes, quam cum licentia; quæ cum sit injusta, et sine honesta causa, quandoquidem discordat a voto, et a regularitate, nequit licitum reddere actum. Si opponas: igitur nil pretio æstimabile poterit cum licentia exponi, ad acuendam honestam delectationem ludentium? Respondeo, posse aliquid licite exponi de licentia, puta imagines, cereolos, etc., pecuniam vere non; quia est esca nimis alliciens avaritiæ famem, nimisque adversans voto; usus enim aliarum rerum, imaginum, cereolorum, etc.

conceditur religiosis quibuslibet; neu iquam usus pecuniæ, ob datam rationem. » Et tract. 10 *De septimo Decalog. præcepto*, cap. 11, § 2, n. 4: «Ludentes ludo alioquin permissio, dominium habere debent eorum quæ ludo exponunt, ut patet. Hinc juxta communem, pupilli absque tutoris; et minores absque curatoris; et religiosi absque superioris licentia, nil exponere possunt, et qui lucratur, tenetur lucrata restituere respective tutoribus, curatoribus, religioni: eo quod lucratur ab his, qui rem suam alienare non possunt, » ait S. Thomas, 2-2, q. 32, a. 7 ad 2.

(6. Huc quoque pertinent, atque ut a regularibus et monialium confessariis etiam atque etiam considerentur, depromissimus, quæ scribit P. Ubaldus Giraldi, *Expositionis juris Pontificii*, part. 1, sect. 538, pag. 369, seq. Sunt autem hujusmodi: «Hic serio monitos velim quoscumque paupertatis voto, tam simplici, quam solemnem, et huic potissimum obstrictos, ne cum periculo damnationis æternæ se allucinentur, putantes sibi licitum esse citra sacrilegam dicti voti fractionem, pecuniam, cujus usum habent, cuicumque ludo exponere, et præsertim vulgo *del lotto*, ea falsa innixi ratione, quod id ludi genus, jam prohibitum a Benedicto XIII, die 12 Augusti 1727, etiam sub poena excommunicationis, Papæ reservatæ, permissum deinde fuerit a Clemente XII, in ejus *Motu proprio*, 9 Decembris 1731, incipien. *Tra le molte angustie*, impresso in typographia Camerali: in hoc enim expresse excluduntur quicumque paupertatis voto obstricti sint; ibi: «Percio ci contentiamo, che nel nuovo «Lotto, da noi, come sopra permesso (Romæ tamen; et tota Ecclesiastica ditione «duntaxat) possa qualunque persona dell' «uno, e l'altro, sesso, non comprare però «quelle, che venissero impedito dal vincolo «de' voti di povertà. » Quæ ultima verba repetita etiam leguntur in edictis de mandato ejusdem Pontificis, publicatis ab eminentissimo Urbis vicario, et a generali thesaurario, sub die 12 dictorum mensis, et anni, in eadem typographia impressis. Nec existiment se tutos in foro conscientie, si id faciant cum licentia suorum superiorum, si forte hodie, et cum hac faciant; quandoquidem omnia jura proclamant, his omnino interdictum esse, concedere propriis subditis facultatem quidquam erogandi in usus profanos, et contra ipsorum statum, sed in necessariis duntaxat, licitos et honestos. Hinc ita, hoc certo et incontrovertibili firmato principio, inter alios DD. communiter infert Bartholomæus a S. Fausto congreg. Fulien-sis, ordinis Cisterciensis, in *Thesaurio Religiosorum*, lib. VIII, *De voto paupertatis*, qu. 94: «Prælati non potest facere facultatem hujusmodi religioso, v. g. ut expendat «pecuniam in ludos, luxus et similia: et «quamvis prælati prædictam licentiam concedat, non ideo subditus excusatur a mortali, et a nota proprietatis, si in materia

«gravi ea utatur. » Et ratio est quia hoc non est dispensare, vel rectam licentiam dare, sed dissipare, quia dispensatio est discreta pensatio, necessitate, vel utilitate suadente; at in pecunia ad libitum religiosi expendenda, nunquam est salutifera dispensatio: Neque itidem sibi suadeant, tam superiores in concedendo licentia, quam subditi in ea utendo, se mortalis peccati reatui non esse obnoxios, si exponant præfato ludo, sicut et cæteris, parvam aliquam summam, ratione parvitas materiæ; cum enim non semel, sed pluries intra annum, et hic in Urbe decem et octo vicibus hanc prætentam parvam summam exponere soleant, et sic continuando quolibet anno, non video quomodo dici possit parvitas materiæ; eo pari modo, quo dici nequit, eum excusari a peccato mortali ratione parvitas materiæ, a quo per pauca moraliter continuata furta ablata est magna summa totalis, juxta propositionem xxxviii, in ordine, inter alias proscripitas ab Innocentio XI, 2 Martii 1679. Neque tandem ad excusandas excusationes in peccatis, subsidium sibi ita tuto aucupari se posse credant a vivæ vocis oraculo, quod prolatum fuisse dicitur a laudato Clemente post publicationem relati *Motu proprio*, licere scilicet paupertatis vinculo obstrictis parvam aliquam pecuniæ summam prædicto ludo exponere, non obstante prohibitione, in eodem Motu proprio expressa, cum de eo nullo modo constet. Et quamvis ex atestatione aliquorum fide dignorum, ut dicitur, constaret, præsumi nequit, tantum Pontificem ita zelotypum ad sartam tectam fidelium pietatem servandam, voluisse dicto vinculo obstrictis aperire viam proprietatis, ipsis indulgendo, non ut raro, sed ut toties quoties quolibet anno exponere possent prædicto ludo parvam aliquam summam, quæ integraret, ut dixi, magnam summam totalem contra votum paupertatis. Unde de hoc asserto vivæ vocis oraculo dicendum est, verum fuisse commentum, ab aliquibus excogitatum ad proprie indulgendum cupiditati, palliandumque proprietatis vitium. Si qui vero citra lethalem culpam se tuto id, non semel,

LUNATICUS, ET FURIOSUS.

Vid. verb. IRREGULARITAS, art. 2, n. 12.

LUXURIA.

SUMMARIUM.

1. Luxuria quid sit. — 2. Luxuria: species sunt septem: scilicet fornicatio, adulterium, incestus, stuprum, raptus, sacrilegium, et peccatum contra naturam, quod subdividitur in molliem, inordinatum concubitus, sodomiam, et bestialitatem; quibus accedit impudicitia. — 3. Fornicatio quid sit. — 4. Fornicatio est peccatum mortale. — 5. Fornicatio est intrinsece mala. — 6. Fornicatio alia dicitur vaga more peccandi, modo cum hac, vel hoc, modo cum illa, vel illo; alia determinata cum una certa et determinata persona, et dicitur concubitus. — 7. Concubitus quid sit. — 8. Fornicatio cum persona infideli an sit simplex fornicatio, vel addat no-

sed pluries in anno, facere posse credant, aut vi hujus præsumpti oraculi, aut alterius tituli, puta ad subveniendum, vel suæ, vel loci pii, vel alienæ paupertati, ipsi viderint, cum non meum sit de iis iudicium ferre. Audias tamen quid de iisdem sentiat S. Antoninus, part. xi, tit. 1, cap. 23, § 3. «Sed et religiosi, si quæ habent ad «usum, vel per administrationem, illa tamen «donare, vel alienare non possunt licite, ut «in LUDIS. » Est hic notandum, quod quamvis Clemens derogaverit constitutioni Benedicti quoad excommunicationem inflictam iis qui prædicto ludo vacarent, hanc tamen firmam remanere declaravit contra illos, qui in ludendo uterentur pravis artibus, et detestabilibus, ac damnatis superstitionibus, ut dicam infra ad titulum *De sortilegiis*, ad cap. 2, *In tabulis*, nempe pag. 687, ubi hæc ex motu proprio Clementis XII, refert: «Quanto poi alla pena «della scomunica, vogliamo parimente, «che resti ferma solamente contro quelli, «che tratti da una folle speranza di vincere «per mezzi riprovati, ed illeciti, useranno «nel giocare arti prave, o si serviranno «di detestabili, e dannate superstizioni; «quale deve credersi essere stata, ancora «l' unica, e principale mira del prenomi- «nato nostro Predecessore nel l' imporla. » De hoc porro ludo qui plura cupit, legat Hieronymi Ercoli J. C. Romani Dissertationem *Del giuoco del lotto, che sia degno di essere da per tutto proibito*. Romæ mcccxxviii. Confer Andrea Hieronymi Andreucci opusculum inscriptum: *L' osservanza divinatoria de sogni fatta scorgere inutile, colpevole, e pericolosa: in Roma mcccxlii*. Inter alios præcipue legendus Anonymi liber, cui titulus *Trattato de Giochi permessi, o proibiti ai Christiani*, Roma, 1768; per il Barbiellini alla *Minerva*. Meminerint quoque omnes decreto 15 Julii 1732, proscriptum fuisse libellum, qui inscribitur: *Liste dell' Arti di tutte l' Estrazioni ridotte per ordine di alfabeto*; ut constat ex Indice librorum prohibitorum Benedicti XIV Pont. Max. auctoritate publicato pag. 160*.

vam malitiam specie distinctam, et in confessione necessario aperiendam? — 9. Fornicatio cum sponsa, vel sponso alterius de futuro, an addat novam malitiam injustitiæ distinctam et in confessione necessario aperiendam? — 10. Qui copulam habuit cum soluta, non sufficit, si dicat in confessione, *Commissi grave peccatum contra castitatem cum soluta*, sed debet explicare copulam. — 11. Adulterium quid sit? et omnia, quæ ipsum concernunt, remissive. — 12. Incestus quid sit? — 13. Non solum concubitus, sed etiam tactus, amplexus, oscula, etc., participant rationem incestus, si fiant inter personas consanguineas, aut affines. — 14. Ad hoc ut incestus sit casus reservatus, nisi aliud ab episcopo exprimat, requiruntur tres conditiones, quæ assignantur. — 15.